

Ant. v. Giesbreg. Nürting

Nf. 59.1.



DISSERTATIO THEOLOGICA INAVGVRALIS  
QVA  
PSALMVVM SECVNDVM  
DE  
IESV CHRISTO  
VERO MESSIA


CONTRA  
SOCINI CRELLII WOLZOGENII  
ET ASSECLARVM FICTVM DVPLICEM SENSVM  
VNICE AGERE  
DEMONSTRATVR

QVAM  
PRAESIDE  
ANTONIO IVLIO von der *Hardt*

S.S. THEOLOGIAE DOCTORE  
EIVSDEMQUE VT ET LINGVARVM ORIENTALIVM  
PROFESSORE PVBL. ORD.  
ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE H. T.  
PRORECTORE  
D. XVIII. DEC. A. MDCCXLIX  
IN IVLEO MAIORI

TVEBITVR  
CAROLVS FRIDERICVS MEYER


S.S. THEOL. CVLT. ET SOCIET. TEVT. DVCAL.  
HELMST. SODALIS.




HELMSTADT  
EXCVDEBAT PAVL DIETERIC. SCHNORR,  
ACAD. TYPOGR.

P R A E F A T I O  
P R I M I  
I E S U C H R I S T O  
V E R O M E S S I A  
P R O P O S I T I O  
H T A S S E G L A R V M P I E T R M D I V I N I C I M S E N S V M  
V N I C I T A T E  
D E M O N S T R A T V R  
P R A E F A T I O  
A N T O N I O J V L I O D O N D E R S T R I C H T  
P R O F E S S O R I S P U B L I C I  
I N P A R T E M A T H E M A T I C A M  
I N U N I V E R S I T A T E M H A L L E N S I  
C A R O L O F R I D R I C O S W I T T E R  
P R O F E S S O R I S P U B L I C I  
I N P A R T E M A T H E M A T I C A M  
I N U N I V E R S I T A T E M H A L L E N S I





§. I.



nter illustriora veteris testamenti oracula, a scriptoribus diuino spiritu agitatae consignata, quae purae religionis veritates & dogmata nobis exhibent, praecipue consideranda sunt scripta prophetica, in quibus de Christi Iesu persona, eius officio mediatorio atque satisfactione pro hominum peccatis agitur. Quae diuina de vero Dei filio vaticinia tanti sunt ponderis, vt ad salutem generis humani consequendam summe sint necessaria, adeoque tanto curatius inuestiganda, quanto plus plerisque illis promissionibus de orbis redemptore vim probandi ac efficaciam eripere aduersarii conantur.

## §. II.

Ad illa loca, quae vaticinia de Christo continent, merito recensetur psalmus secundus. Quo sublimius autem argumentum psalmi, de Christo aeterno Dei filio, eo maiorem ac iustioremsciscit industriam, quae veritatem tueatur, & falsas quorundam amoliat opinioniones. Quamvis vero animus non sit, contendere cum quocumque, qui vel per fascinum, vel per imperitiam, geminum psalmi finxere sensum, primum proximum, immediatum, historicum de Dauide, alterum remotum, mediatum, mysticum de Messia. In vnum & solum Iesum Christum, sensu vero, vno, literali & solo, totum ducere psalmum veritas demonstrabit.

## §. III.

Sicuti in allegandis aut cumulandis christianorum commentatorum verbis & sententiis in singulos versus parci fuimus, a) ita & in aliam occasionem ac peculiare opus distulimus iudaeorum veterum ac recentiorum, quorum magnus est numerus, sententias examinandas. Quandoquidem enim inter ipsos iudaeos ingens est dissensus, quorum nonnulli de Messia, b) alii de Dauide, alii de utroque, & alii de alio argumentum explicant; horum examen breue esse non potest. Insuper certamina de hoc psalmo inter iudaeos conuersos & synagogam, c) & argumentorum pondera, quibus iudaei contra Christum vtuntur, & his a christianis iterum opponuntur, longam poscunt considerationem. Quin imo & antiquiorum iudaeorum, post Hierosolymae cineres, iisque paulo propinquiorum, sententia de Messia in psalmo secundo, a nonnullis commendata, a christianis ipsisque primis apostolis toto differt coelo. Professi equidem illi, psal-

psalmum hunc agere de Messia; verum longe alius illis est Messias, quam nobis; illi personam & regnum eius cum factis & factis longe aliter in Messia constituunt, quam apostoli & nos eiusdem fidei. Quapropter de usu testimoniorum iudaicorum caute adhibendorum pro christiana re, suo loco & tempore plenius erit agendum.

- a) Variorum sententias & interpretationes cognoscere cui volupe est, adeat *Criticos Anglicanos*, Poli Synoplin Criticorum S. Script. *Scheitligii* bibliothecam disputat. in Vet. & Nou. Test.
- b) Horum testimonia collegit *Theodor. Hackspan* in notis ad R. *Lipmanni* librum *Nizzachon*, p. 343. sequ. Conf. *Ioh. Lightfootus* in horis hebraicis ad Iohan. V. Oper. T. II. p. 622.
- c) Quinque ferme seculis haec certamina sunt agitata & continuata, solemnibus disputationibus, inter Hispanos praesertim, inter quos caput extulit *Paulus Burgenfis*, qui iudaeus hispanus genere, conuersus ad christianismum, ex oppido *S. Mariae* oriundus, vnde dicitur *Paulus de S. Mariae*; *Burgenfis* vero ab episcopatu, quem post baptismum obtinuit vid. *Basnage*. Hist. Iud. T. 5. p. 189c. Conf. *Bartoloccius* in bibliotheca rabbinica P. IV. f. 383. Hic *Paulus Burgenfis* scripsit dialogum, qui vocatur *scrutinium scripturarum*, in quo de hac cum iudaeis controuersia fuit. Laudauit hunc dialogum, (cuius exemplar quod possideo, vetustissimum, sine anno & loco prodit,) *Alphonsus Spina* in fortalicio fidei lib. III. qui idem tractat argumentum.

#### §. IV.

Antequam vero ad psalmi argumentum inuestigandum accedamus, necesse erit, vt dispiciamus de autore psalmi, in quo maiestas regni Messiae siue Iesu Christi magnifice cantatur. In fronte quidem huius psalmi nullus character, nulla inscriptio aut scriptoris mentio, unde pro autore argumentum sumi possit; vt adeo ex stilo & orationis habitu interpretis aut lectoris periti iudicio relinqueretur, de autore & tempore sentire. Interim omnium fere interpretum consensus eo tendit, quod Da-

uid, cuius nomen integrum psalmodum volumen in fronte habet, & huius psalmi sit autor. a) De cuius veritate non dubitamus, nec alius dubium mouebit, qui expendit, a scriptoribus noui testamenti sacris plus simplici vice illustrem hunc psalmum allegari, b) inter quos autor Actorum apostolicorum manifeste psalmi secundi autorem appellat Dauidem, quando in oratione collegii apostolici, cum Petrus & Iohannes, duriter coram synedrio habiti, silentio illis iniuncto dimissi, & ad apostolos reliquos essent reuersi, nomine apostolorum omnium deuote orantium, ita dicit: c) *διὰ νόμους Δαβὶδ, per os Dauidis*. Ex quo sacri scriptoris, vel potius ipsius spiritus sancti testimonio abunde demonstratur, Dauidem regem spiritu prophetico hunc composuisse psalmum.

a) Conf. *Io. Henr. Michaelis* praefatio in librum psalmodum §. 4. *Io. Henr. Heideggeri* enchiridion biblicum p. 254. *Iob. Gerhards* annotationes in psalmos priores, p. 20.

b) Act. 4. 25. 26. 13. 33. Hebr. 1. 5. 5. 5.

c) Act. 4. 23.

### §. V.

Quamuis autem clarum, Dauidem esse autorem, nullo tamen modo determinari potest certum tempus, an in principio regni ab inauguratione prima Samuelis, vel ab obitu Saulis in exordio regiminis super duas tribus, an vero in initio regni super duodecim tribus psalmum accinuerit? Multo minus inde concludi potest, argumentum ad Dauidem & illius vitam spectare. Fucus est, quando historia dauidica in subsidium vocatur, vt adstruere quis velit, Dauidem se & res suas hic cecinisse, vt ad eum oratio pertineat proprie & historice. Quam longissime a vero hoc remotum, ex ipsa recensione perspicuum euadet. Illud enim distinctionis effugium, historice pertinere ad Dauidem immediate, mystice vero & remote



te ad Messiam, plane est incommodum, & pugnat cum omni dicendi ac explicandi fundamento, vt euidenter ex fingulis orationis partibus constabit.

§. VI.

Totum gemini sensus in psalmo secundo negotium, literalis & mystici, debetur calliditati iudaicae. Quando seculo circiter a nato Christo XII. conuersi inter Hispanos iudaei, christianam fidem amplexi, contendere coeperunt cum iudaeis, pro illis conuertendis, frequenter adduxerunt loca veteris testamenti de Messia, quae ad Christum conferrent, & in illo impleta dicerent. Conuersi hi iudaei, cum veterum iudaeorum in *Talmud*, *Rabbot*, *Pesikta*, *Meddraschot*, effata & confessiones, illa loca de Messia intelligi oportere, iudaeis inculcarent, hi coeperunt exclamare, maiores non proprium sed משיחא mysticum designasse sensum. a) Inter hos *Aben Esra* & *Kimchi* b) quos glossatores appellare solent, & in specie *Raschi* c) pro suo ingenio christianorum argumenta laceffens, psalmum secundum sic interpretatur, vt haberent iudaei, quod christianis regerent. Fassus quidem ille, maiores psalmum de Messia intellexisse, sed illorum explicacionem vocat mysticam, quae plus habeat ingenii quam veri. Quod *Raschi* artificium, quando *Dauidem* appellat Dei filium, ex inauguratione sua in regem, incautos christianos fascinavit, vt illius vestigia legendo, longius a veritate declinarent. Donec aliqui subinde remotius abirent, non solum geminum sensum isto modo fingendo, sed & vtrumque sub literalis sensus praetextu vendendo.

a) Multa passim de hoc apud iudaeos interpretandi modo in medium adduxit *Raymundus Martin* in *Pugione fidei*. Conf. p. 423. seq. 589. &c.

b) in ספר תהלים Commentario in Psalms, edit. Isenensis f. 7. Hunc Psalmum *Dauid* in principio regni edidit, quando congre-

gregati sunt contra eum gentes, iuxta id 2. Sam. 5. Et audierunt philistaei, quod unxissent Dauidem in regem super Israël, & ascenderunt, ut quaererent Dauid. Hinc est quod dicit: quare tumultuantur gentes &c. Praesertim in fine commentarii in hunc psalmum iudaeos instruit contra christianos hoc modo: Sunt qui exponunt hunc psalmum de Gog & Magog, & de rege Messia, uti exposuerunt patres nostri; p. m. verum christiani explicant de Iesu, & versus iste, unde argumentum sumunt, est: dominus dixit ad me, filius meus es tu. Quod si dixerit ad te christianus, Christum esse filium dei, responde, non competere diuinitati paternitatem & filiationem &c. - - ecce instruxi te quomodo respondeas christianis ex ipso psalmo, quibus tu, pro intellectu tuo, plura addere poteris. Et ex duabus explanationibus, quam volueris sequi, siue de Dauide, siue de Messia, praesentem psalmum accipias.

c) In Comment. in Psalmos ex Bibliis hebraicis titulo קהלת משה Amstel. 1724. f. m. editis T. IV. f. 2. cuius verba latine red-  
dita ita sonant: Rabbinus nostri hunc psalmum explicant de rege Messia, sed literaliter explicari debet de Dauide ipso, iuxta illud 2. Sam. 5, 17. Collegerunt philistaei castra sua, sed a Dauide victi. De illis philistaeis ait psalmus: quare consurgunt populi &c. Paulo post, per filium intelligit israelitarum regem & caput, cum israel a Deo appellatur filius primogenitus. Quod igitur hi per Dauidem sint seruandi, ideo nomen israelitarum, filii dei, tribui Dauidi, capiti, vt Dauid habeatur pro toto populo, qui per Dauidem sustinendus. Per hodie, diem coronationis vel inaugurationis Dauidis designat, de quo affirmauit Deus 2. Sam. 6, 4. Ille erit mihi filius, & ego ero illius pater &c.

### §. VII.

Sufficiat, ex variis Socinianis vel vnum alterumue psalmi secundi interpretem submonstrasse, qui historiam quandam Dauidis, in qua tamen variant, pro sensu proximo & literali definiuerunt, mysticam vero interpretationem ad Messiam deduxerunt. Exercitum Socinianorum ducat IOH. CRELLIUS, qui sic ait: a) Narratur ibi, in psalmo secundo, sensu literali, quomodo Deus Dauidem, Christi

*Christi typum, olim constituerit regem, super montem suum sanctum Sionem; et Dei decretum, quo ipsum regem declaravit ac constituit, illis verbis exprimitur: filius meus es tu, ego hodie genui te. Ita enim ibi scriptum extat: ego autem, inquit dominus, constituo regem meum super Sionem montem sanctitatis meae. Narrabo, subiicit David, decretum, nempe quo id Deus se facere declaravit, filius meus es tu, ego hodie genui te. Vnde colligere possumus, quid sit sensu mystico, qui longe sublimior est, quod Christus, Davidis antitypus, constitutus fuerit dei filius ex resurrectione a mortuis. Eiusdem cum Crellio ceterorum Socinianorum duces sunt sententiae, qui historiam Davidis pro sensu constituunt literali, pro antitypo agnoscunt Messiam. Hoc palam agit FAVSTVS SOCINVS b) & IOH. LVDOV. WOLZOGENIVS. c) Cum quibus consentit HVGGO GROTIVS, d) IOH. LIGHTFOOTVS e) & IAQVELOT. f) Qui omnes duplicem hoc loco, literalem & mysticum, admittunt sensum.*

- a) In Commentario in Epistol. Pauli ad Rom. in Bibliotheca fratrum Polonorum, Eleuth. 1656. T. II. f. 20. Conf. in Epist. ad Hebr. Commentar. l. c. f. 27. seq.
- b) In praelectionibus theologicis, Biblioth. Fratr. Polon. T. I. f. 584. b.
- c) in Comment. in Act. Apostol. T. II. operum f. 27. Biblioth. Fratr. Pol. T. V. vbi diserte dicit: per unctum Dei, in psalmo intelligebatur primo sensu literali ipse David, quem Deus per Samuelem prophetam vnixerat in id, vt esset rex Israelitarum, contra quem insurrexerunt tum israelitae, tum aliae gentes, 2. Sam. 2, 8. 9. 5, 17. 8, 10. Sed sensu mystico intelligitur ille excellentissimus Messias, nempe Iesus Christus, quem vnxit Deus ipse Spiritu Sancto, in id, vt sit rex coelestis populi Dei.
- d) Annotat. in Vet. Test. T. I. p. 440. Quare fremuerunt gentes, Philistini, Moabitae, Sabaei, Damasceni, Ammonitae, Idumaei, 2. Sam. VIII. & X. Sensus enim primus & apertus ad Dauidem pertinet, mysticus & abstrusior ad Messiam.

B

e) Ope-

- e) Operum T. I. f. 77. vbi opinatur psalmum hunc a Dauide scriptum esse propheticè in historiam feralem decem tribuum, quae sub Rehabeamo a regno Dauidis defecerant, ad Ieroboamum euntes, eamque defectionem typum fuisse sceturae rebellionis contra Messiam.
- f) Dissertation sur le Messie, Haye 1699. 8. p. 74. *L'un & l'autre, (Dauid & Salomon,) sont nommes fils de Dieu, d'une façon toute particuliere. Dieu dit de Salomon, je lui ferai pere, & il fera mon fils; & dans le pséaume second il dit a David, tu es mon fils, je t'ai engendré aujourd'hui, lorsqu'il fut declare & reconnu roy par toutes les tribus, & qu'il se preparoit a marcher contre les philistins. C'est la a mon avis le sujet de ce pséaume, que je regarde comme une exhortation faite au peuple, pour l'encourager au combat. Le Talmud & les Rabbins rapportent ce pséaume & ces paroles au Messie, de meme que les suivantes: demande moi & je te donnerai, baïses le fils; de sorte que S. Paul ne s'est pas éloigné du sens que l'eglise iuive donnoit a ces paroles, tu es mon fils, je t'ai aujourd'hui engendré, quand il les applique a la resurrection de Jesus Christ. Car Jesus Christ étoit declare fils de Dieu en puissance par la resurrection, & par le pouvoir souverain qu'il reçut de Dieu, au jour qu'il fut declare roy sur tout israël. Idem l. c. p. 75. Quoi que ce pséaume se puisse rapporter a Dauid, comme nous avons dit, il est toujours certain, qu'il doit s'entendre jusqu'au Messie de l'aveu des docteurs iuifs par ce que le Messie en remplit le sens d'une maniere plus noble & plus parfaite. Outre que le Messie étant le fils de David par excellence, c'est a lui qu'appartiennent ces paroles; je te donnerai les nations de la terre pour ta possession: baïses le fils de peur qu'il ne s'irrite.*

## §. VIII.

Huius duplicis sensus in hoc psalmo latebras admittere perique euangelicorum recusarunt, & nos in praesenti dissertatione iuste recusamus, qui non nisi vnum, eundemque literalem, a scriptore sacro intentum, agnoscimus sensum, qui nullo modo in Dauidem, sed vniuersè & proprie, pro scopo auctoris, in Iesum Christum tendit.

dit. Hanc sententiam loco aliorum multorum enunciat exegeta & philologus peritus IOH. FRISCHMUTH, a) qui cum ABRAH. CALOVIO, b) gemini sensus, immediati & mediati figmentum, vt ad Dauidem proprie, mystice vero, sensu sublimiori, vt loquuntur, in Messiam quadret, repudiat, ac iudaeos veteres, illis peritiores pronunciat, qui solo sensu literali in Messiam psalmum totum deduxerunt. Idem statuit integrum COLLEGIVM WITTEBERGENSE, c) quod Socinianis ac Photianis satisfecit, distinctionem in sensum literalem & mysticum reiiciens.

- a) Dissertat. *de Messia dei filio*. ad Psal. II. Cap. I. §. 9. ita fatur: *Manet fixum & innotum, psalmum hunc secundum sensum literalem de solo Messia agere, non tantum ob praedicata, quae in Dauidem minus quadrant, & eo sunt maiora, sed etiam vel maxime, ob allegationem apostolicam Act. 4. & 13. vbi Apostoli, vt apud iudaeos extra controuersiam positum, & ὁμολογεῖμεν hoc vrgent, & Paulus Ebr. V. 5. Christi eminentiam, quam praec angelis habeat, inde comprobat, & ita quoties huius psalmi locum v. 7. produciunt, non nisi Christo applicatum eunt, vt de alio nullo quam Messia textum loqui hinc manifestissimum evadat, vt impudens plane sit assertum Enicidini, negantis, si litera vrgatur, in Christo vnquam psalmum esse impletum. Conf. l. c. §. 7.*
- b) In annotatis AntiGrotianis, Witteb. 1660. 4. ad hunc psalmum. *Non nisi vnus tantum sensus est, vna mens & intentio spiritus sancti in vno scripturae loco; si de Dauide loquatur, eiusque res describat, de Christo non loquitur, nec intelligi potest; si de Christo loquatur, ac praedicet ea, quae acturus ipse sit, de Dauide certe explicari non debet, siue primariam, siue secundariam dicas intentionem, siue propriam, siue impropriam, siue literalem, siue mysticam. Inanes sunt illae distinctiones ac τερατολογίαι ad obsuscandam mentem S. S. & iniuandos iudaeos ac iudaizantes excogitatae &c.*
- c) In libro cui titulus: *Ausführliche und gründliche wiederlegung des teutschen arianischen Catechismi, welcher zu Racau in Pohlen 1608. gedruckt, durch die theologische facultät zu Wittenberg 1619. p. 142. sequ.*

## §. IX.

Locus nunc esto quaedam praemonere de argu-  
 mento psalmi, quod, si singuli versus ac vniuersus con-  
 textus curatius ponderantur, est dialogus, siue prosopo-  
 poeia Christi, qui se & regnum suum aduersus hostium  
 iniurias inuictum asserit. Quod spiritus sanctus nude po-  
 ruisset enunciare, Christus durissima experietur fata, quae  
 fortissime superabit; illud eidem placuit eloqui oratione  
 sublimi. Quae elocutio facta modo eleganti & pathetico,  
 prosopopoeia, eaque mirifice variata & distincta, ad mo-  
 uendum accommodatissima. Introducitur Christus, fi-  
 situr loquens, compellens coetum hostium, datur illi  
 sermo, datur & sermo hostibus, datur Deo, per vices  
 aptissimas. Qualis introductio personarum, oratoria for-  
 matio sermonum, miram habet dignitatem, & in animos  
 audientium aut legentium vim, iusto interprete FAB.  
 QVINTILIANO. a) Cuius elegantis rhetoris verba tanto  
 sollicitius sunt obseruanda, quanto attentius in hoc no-  
 stro psalmo admirabile decus, quoad orationem, figuras  
 & affectus, notari meretur. Talismodi prosopopoeias  
 splendoras tanto numero prophetarum referunt monu-  
 menta, vt oculos & pectora lectorum feriant. Ne quis  
 tamen tam sit inconsultus, qui elegantiam sermonis ci-  
 uilis seiungere velit a sacro prophetarum sermone, testem  
 dabimus in Patrum primorum confesso, IUSTINVM  
 MARTYREM, b) prosopopoeiarum sacrarum autorita-  
 tem vindicans. Quanto autem maior prosopopoeiae va-  
 riatio, per frequentiam personarum, earumque diuersis-  
 simarum, tanto vberior lectoris requiritur attentio, par-  
 tim vt peruideat mutationis initia & terminos, partim  
 vt personae rite dignoscantur, partim vt character singu-  
 larum personarum in sermonis proprietate penetretur,  
 partim vt recensio omnibus sit par. Qui dignae exege-  
 feos

feos labor perarduus, & in tam vetustis monumentis, ut hic psalmus est, admodum grauis.

a) In institutionibus oratoriis ex edit. Obrechtii Argentor. 1698. Lib. IX. c. 12. f. 517. *Profopociae mire cum variant orationem, tum excitant. His & aduersariorum cogitationes, velut secum loquentium, protrahimus, quae tamen ita demum a fide non abhorrent, si ea locutos finxerimus, quae cogitasse eos non sit absurdum. Et nostros cum aliis sermones, & aliorum inter se, credibiliter introducimus. Et suadendo, querendo, laudando, miserando, personas idoneas damus. Quin deducere deos in hoc genere dicendi, & inferos excitare concessum est. Idem paulo post: Sunt quidam qui has demum profopocias dicant, in quibus & corpora & verba fingunt: Sermones hominum assumulatos dicere dialoγος malunt, quod latinorum quidam dixerunt sermoenationem. Ego iam recepto more utrumque eodem modo appellauit. Nam certe sermo fingi non potest, ut non personae sermo fingatur.* Conf. l. c. lib. VIII. p. 191. seq.

b) Operum graece & latine ed. Colon. 1686. fol. Apologia II. pro christianis f. 76. *Όταν, τας λέξεις των προφητων, λογεμενας ως από προσωπα, ακητε, μη από αυτων των εμπεινευμενων λεγεσθαι νομισατε, αλλ από τῆ κωνστος αυτες θεας λόγα. Ποτε μεν γαρ ως προγγηλτικως τα μελλοντα γενεσθαι λεγα, ποτε δε ως από προσωπα τῆ δεσποτα πάντων κη πατρος θεῶ φηγγησεται, ποτε δε ως από προσωπα τῆ Χριστῆ, ποτε δε ως από προσωπα λαων, αποκειμενων τῆ κωνστω η τῆ πατρι αυτῆ. Όσων κη ἐπι των παρ' αυτων συγγραφῶν ιδαν εστιν, ενα μεν των τα πάντα συγγραφουτα οντα, προσωπα δε τα διαλεγόμενα διαβερουτα. Quando prophetarum verba auditis, tanquam ab alio quodam per profopociam dicta, ne ab illis, tanquam proprio genio motis, illa dici existimate, sed a verbo quod illos incitauit diuino. Quandoque enim praenunciantis more edicit quae sint futura: Quandoque loquitur velut in persona Dei, omnium domini & patris: Quandoque in persona Christi; Quandoque in persona populorum, qui Christo respondeant aut patri eius. Eodem modo, ut apud scriptores vestros (exteros) cernere est, quando vnus quidem est qui conscripsit omnia, personae autem, quae loquentes introducuntur, sunt diuersae.*

## §. X.

Quando itaque in hoc psalmo Christus introducit, hostes suos & regni sui redarguens, iisque exitum declarans terribilem; ante omnia pro maiori luce repetendum, quod prosopopoeiarum haec sit vis, rem futuram in praesentem ferendi conspectum, ut quasi coram videatur agi, quod futurum. Autoris igitur Dauidis animum Deus ita flexit, ut Christi maiestatem, omnibus hostibus superiorem, cantaturus, ipsum Messiam introduceret praesentissimo animo praeditum, qui odia aduersariorum non metuat. Quo exemplo fides ac spes legentium accenderetur, qui animum non desponderent, nec spem regni Christi abicerent, sed fortiter tuerentur.

## §. XI.

Exordium psalmi est serenum v. i. למה רגשו גוים? *quare turmatim conueniunt aut consuunt gentes?* Qui sermo non est interrogantis aut sciscitantis affectus, sed exprobrantis & reprehendentis. Sistitur nempe Iesus Christus, verus Messias, in suo regno, qui aduersarios exitium parantes, & quanto studio de eo interimendo consultantes, videat ac sciat; sed quem non moueant aut deterreant doli & insidiae, cuius animus sit erectus. Non hostes directe compellat Messias, sed rempublicam suam, regniue sui consortes, sibi addictos, cum quibus velut confert & communicat; vana hostium molimina, ut eorum vanitatem peruideant & iudicent.

## §. XII.

Cum verbum hebraicum רגש non nisi semel, in nostro loco, in scriptis Vet. Test. hebraicis sit obuium, eius vim demonstrare non erit iniucundum. Non sane concorditer conuenire aut congregari, ut IOH. COCCEIUS  
exi-



existimat, a) sed *tumultuose confluere, turbare & simul conspirare*, denotat, teste BVXTORFFIO. b) Conuenit cum  $\Psi\Upsilon\Upsilon$  quod hebraeis est turbare, commouere. Quomodo graeci interpretes & Lucas c) reddiderunt  $\Phi\epsilon\upsilon\acute{\iota}\sigma\sigma\epsilon\upsilon$ , *fremere, insolescere, ferocire*. Sic est descriptio frequentium congressuum publicorum in concilio, in confessu, in synedrio. Insimul animus congregatorum eodem verbo submonstratur, qui non tranquille conuenirent, sed in Christi odium & perniciem. Quem animi aestum ac in deliberando impetuosum feruorem non male furorem dixeris.

a) In lexico hebr. & chald. f. 393.

b) Lexico minori p. 716. & maiori f. 2207. Conf. lac. *Gussetium* in Lexic. hebr. ex ed. *Clodii*. p. 1482.

c) Act. Ap. Cap. IV. 25.

### §. XIII.

Vocem  $\text{גוֹיִם}$  interpretes V. T. graeci vertunt *cum*  $\text{ἐθνη}$ , quae vox in se generalis, & denotat turbam hominum, gentem aut nationem; vnde de iudaeis aequae ac extraneis in sacris adhibetur. Speciali usu quidem ad gentes extraneas, a iudaeis distinctas, designandas, solet adhiberi. In hoc tamen loco generatim accipitur pro populis sine discrimine, iudaeis ac gentibus. Autor enim psalmi, pro spiritus diuini dictamine, hostes Messiae summam describit, cuiuscunque nationis; sicuti euentus comprobauit in aduersariis Christi ac regni eius, iudaeis aequae ac extraneis.

### §. XIV.

Eadem reprehendentis Messiae sententia in continuata interrogatione:  $\text{יְהוֹדוּ רִיקִים} \text{ } \text{וְיִשְׁאַלְוּ} \text{ } \text{וְיִשְׁאַלְוּ} \text{ } \text{וְיִשְׁאַלְוּ}$  & *quare turbae consultant frustra?* Vti bis terue idem solet dici, pro affectu

fectus vehementia, subinde clarius & apertius, vel & distinctius. **וְנִי** enim, *turba, coetus*, quoad rem idem ac **וְיָ** *populus*; & comprehendit utrumque vocabulum non solum rigida significatione, solam imam plebem, sed rotam gentem promissae, summos, imos, in gente, totumque adeo synedrium, sacerdotes, iudices, phariseos & scribas, vna cum populo obsequente, qui omnes Christo aduersabantur. Horum omnium negotia & consilia calida definiuntur verbo **וְנִי** quod significat *curare, meditari, consilium dare, suadere*. Omnis historia sancta quatuor euangelistarum hoc neruo expressa & contenta, utpote quae centenas memorat iudaeorum, sacerdotum, pharisaeorum & synedrii consultationes, de Christo eiusque doctrina & regno extinguendis.

## §. XV.

Euentum & effectum consultationum, quoad omnem illarum neruum, nunciat autor vocabulo **וְנִי** *frustra, temere*, sine vsu & fructu. Subindicat consiliorum aestum & successus fiduciam; sed simul monstrat temeritatem, frustraneum euentum, consiliorum fucum: conatuos quidem hostes, iudaeos & extraneos, contra Iesum & eius regnum ac ciues artes & insidias struere, sed non effecturos quod velint. Non negat autor Christi molestias, sensum doloris, cruciatus, vulnera, ad sanguinem usque; sed illas persecutiones cruentas irritas fore & innanes, ratione finis & scopi illorum. Etiam si extinguere videantur Messiam, illum tamen victurum, & regnum seruaturum sine metu & fine.

## §. XVI.

Dixerat autor frustra hostes Messiae confluere, & consultare, iam v. 2. addit frustra illos niti viribus suis, qui confidunt se potentia sua effecturos quod velint. Vanam esse

esse illorum sine viribus iram. **יִתְעַבֵּי מְלָכֵי אֶרֶץ הַיְיִוֵּנִים**;  
**נִסְדְּרוּ יַחַד**; *Insurgunt reges terrae, & principes conspirant*  
*unanimitier.* Quo in sermone opinio potentiae & iuris,  
 ac auctoritatis supremæ persuasio, nunciatur *regum* chara-  
 ctere. Circumstantiae sermonis in nostro textu genera-  
 tim indicant omnes potestate regendi praeditos, siue par-  
 ua, siue magna sit ditio. Quomodo sub regum nomi-  
 ne comprehenduntur quaelibet reipublicae capita, prae-  
 sides, gubernatores, in sacris & ciuilibus: quales aetate  
 Christi erant reipublicae iudaicae antistites supremi, syne-  
 drii praesides, summi sacerdotes. Quanquam enim re-  
 gum titulo non gauderent, in republica tamen magna  
 praediti potentia, quae vitae & necis iura complecteretur.  
 Nec exclusi celsiori ipso regum insigni eminentes, quales  
 aetate Christi Herodes, Romanorum Proconsules, acce-  
 dente suprema imperatoria potestate. Euentus sane docu-  
 it, potentes fuisse insidias, Christo & regno ac doctrinae  
 eius oppositas, longas & cruentas persecutiones, quas Chri-  
 stus cum suis multis sustinuit annis, quae necem Christo  
 inferrent, teste luculento Euangelistarum & Actorum apo-  
 stolicorum historia. a)

a) Vid. Matth. 12, 14, 22, 15, 26, 4, 27, 1. Marc. 3, 6, 12, 13. Luc. 13,  
 31, seq. 23, 8, seq. Ioh. 9, 22. Act. 4, 15, seq. 5, 33, 6, 11, seq.

### §. XVII.

Imprudentiam vero, temeritatem & tristem exitum  
 consiliorum ac opinionum hostium denunciat autor,  
 quando opinabantur, se pro Deo certare, eique rem gra-  
 tam facere, cum Iesum persequerentur, vti ex historia  
 Christi perspicuum. a) Hanc mentis coecitatem monstrat  
 his verbis **עַל יְהוָה** *contra Deum*, bellum quasi ab illis cum  
 Deo geri. Quae est acerba reprehensio stolidi illorum sus-  
 cepti, indicium horreni sceleris, & indubitati exitij, qui

dignas Deo daturi sint poenas suo interitu. Sicuti multis modis pugnam inire cum Deo dicuntur, qui Dei sententiam & voluntatem, Dei prouidentiam, Dei gratiam conculcant; ita imprimis Deo repugnare audiunt, qui regnum Dei pessundare conantur, per innumeras promissiones in Mose ac prophetis per Messiam suscitaturum. Quando itaque Christus non terrenum, sed diuinum & coeleste apparabat regnum, impugnare reapse Deum aestimandi, illius regni conditorem ac defensorem, qui illud opprimi non fit permissurus.

a) Matth. 26, 65. sequ. 27, 43. Ioh. 10, 33. 19, 7.

### §. XVIII.

Hoc diuinum regnum, quod euertere conarentur stolidi, magno animo clarius in hac prosopopoeia extollit Christus, quando dicit *על משיח* contra Messiam aut regem eius. Quae non ex affectu hostium dicta, qui Messiam non agnoscerent, sed ex rei veritate, pro hostibus conuincendis & ecclesia secum animanda, ac ad parem in aduersis fiduciam excitanda, quorsum tota haec tendit oratio. Quando Christum dicit *משיח unctum*, regni Dei regem, stilo utitur veteris testamenti, quo reges vngi maiestatis supremae erat exordium. Messias *Χριστός*, aut unctus, idem ac rex, generalis in se appellatio regum, ut & interdum aliorum solenniter inauguratorum, velut summorum sacerdotum & prophetarum, speciatim ad supremum a Deo suscitandi noui regni caput transfertur. Quoniam Dei per Nathanem promissio Dauidi data, de rege ex ipso posteris olim orituro, qui Dauide longe fit superior, celsior, potentior, qui Dei fit filius, cuius regnum futurum diuinum & coeleste, ideo regis aut Messiae character ab omnibus prophetis succedentibus fuit seruatus, qui animam regni attenderunt in Messia rege, ut vniuerso orbi  
per

per illum pararetur salus, tum pro praesenti vita in terris, tum pro altera post hanc, in aeternitate, in coelo. Messias ergo & rex, isque verus, omnium regnorum corona, omnis prosperitatis & salutis norma & vita, a quo verbi regno & spiritus imperio, quo omne ciuile regnum beandum, prima ac potissima Messiae, hoc est regis, vincti, denominatio.

§. XIX.

Comprehendit autem hic Messiae character, Christo tributus, omnes reliquas boni ordinis partes, quae victione constare solebant. Siquidem Iesus Christus, non solum Davidis sed & Dei filius, remoto per suum regnum veteri cultu sacerdotali, id reapse praestitit, quod summus alioquin sacerdos in templo perfecit: quando pro sacrificiis oblati, semet ipsum Deo & voluntati eius pro hominum peccatis obtulit. a) Sed & idem Messias, simul doctrina sua omne munus propheticum superauit; vt cum rex, tum summus meliorque rerum spiritualium sacerdos, tum maximus perpetuusque propheta, qualibus olim vinctio contigerat, appellari iure meritoque possit. Quantumuis ergo Christus in regno suo simul rex, sacerdos & propheta, multo veteribus excellentior & praestantior, praecipua tamen denominandi vis in Messiae nomine, regnum vehit, vt rex audiat. Quo pacto Messias & rex idem profusus, propria appellandi virtute, qui totum orbem liberaturus, seruaturus, & spiritu suo ac doctrina gubernaturus esset in omnem beatitudinem.

a) Ebr. 4, 15. sequ. 5. 1. sequ. 7, 26. sequ. cap. 8.

§. XX.

Hac ratione in praesenti profopopoeia Messias se memorabili relatione appellat משיח Messiam aut regem eius, quem

quem nominauerat Dei. Quod pronomen relatiuum maximi momenti, quippe quo verus & vnus ille rex determinatur, qui a Nathane promissus ex posteris Dauidis, Dei filius, absolute rex aut Messias per prophetas vocatus. Qua relatione indicatur tum promissionum priscarum certitudo ac complementum, vt sit ille rex aut Messias, qui a Deo quondam definitus, tum aeterna eius diuinitas, tum regni istius penes Messiam potentia & robur, pro vincendis etiam omnibus hostibus.

## §. XXI.

Qui praesentis orationis spiritus, oppositus vanis quibuscunque insultibus hostium, de quibus in exordio dixerat autor, est simul demonstratio viuida & animosa irritorum conatum, pro regno illo euertendo. Cuius argumenti vis tanto maior, quanto sollicitius Christus non in prima persona dicit, pugnatis cum Deo & me, sed cum Deo & Messia eius. Qua ipsa sui circumscriptione eleganti pondus addit argumento, pro inanibus hostium motibus indicandis. Contra Deum & regem eius, est contra Deum & me, qui sum Messias aut rex eius. Quae tertiae personae definitio, est validissima propriae personae illustratio. Qualis loquendi figura dein sub finem psalmi repetitur: *colite filium*, quod est *colite me*. vt pote filium Dei. Pari modo, quod hic Messias exprimit de se, cum pronomine tertiae personae, *Messias eius* Dei, illud breui post, in versu 6. Deus de Messia pronunciat cum pronomine relatiuo primae personae מלכי *rex meus*, verus & vnus, per prophetas promissus, cuius ego pater & qui meus filius. Eadem vtrobique argumenti vis, cum in pronomine tertiae personae versu 1, tum primae personae versu 6, pro demonstranda regis & regni illius inuicta maiestate, quam frustra lacescent imbecilles homines, quocunq; videantur eminere gradu.

## §. XXII.

## §. XXII.

Atque sic finita in illustri hoc psalmo prima prosopopoeiae pars, qua Messias hostium sui regni technas, consilia & molimina irrita pronunciat, quoniam Deo & Christo sint opposita. Ex quibus dictis satis abundeque liquet, hunc textum de nullo alio posse dici, quam de Iesu Christo, cuius solum & vnum describatur regnum. Qui vnus, proprius, immediatus & literalis sensus. Ex iisdem ad oculum patet, quam vanum sit & inane, celsum hoc & supra sortem humanam positum exordium sermonis trahere ad Dauidem historice, qui conqueratur de inuasionibus & rebellionibus Philistaeorum & reliquorum sui temporis hostium, qui coniunctim aduersus Dauidem conspirauerint; siquidem supra demonstratum, ad Dauidem eiusque fata trahi non posse, quia nec in eum, nec in illius res vlllo modo quadrant. Quanquam enim Dauidis regnum a Dei sit profectum gratia, non tamen sublimis hic character absolute Dauidi datus, vt eius regnum diceretur regnum Dei, & qui Dauidem bello petat, dicatur Deum petere. Solius Christi regnum praecise appellatum Dei regnum, veteris & noui testamenti perenni stylo, מְלִכְוּתָא דְּמַשְׁכָּא βασιλεία τῶν οὐρανῶν, βασιλεία τῆ θεῶ, *regnum coeli, regnum Dei.* a) Quo sublimi caractere regnum Christi distinctum a Dauidis regno. Porro nec alter ille character מְשִׁיחַ *Messias eius*, rex Dei, absolute Dauidi tributus, nec tribui potuit. Quamuis enim rex fuerit, adeoque vnctus, non tamen nisi peculiariter iste character soli illi regi maximo, κατ' ἐξοχήν *Messiae dicto*, in eiusmodi hymnis assignatur. b) Pronomen vero pro scopo & affectu luculentissime Dauidem excludit, & solum Christum demonstrat. Nec enim David vnquam in tali relatione Dei Messias, qui Dei esset filius, appellari potuit. Huic itaque historice adeoque literaliter illa tribuere, est contra scopum spiritus sancti, contra neruum verborum,

rum, idem ac Messiae regnum cum regno Dauidis confundere.

- a) Pf. 22, 29. 145, 13. Obad. 21. Matth. 4, 23. 6, 10. 11, 12. 19, 14, 23. Luc. 9, 60. Act. 1, 3. Rom. 14, 17. 1. Cor. 4, 20.  
 b) 1. Sam. 2, 35. 2. Sam. 23, 1. Pf. 84, 10. Conf. Ief. 61, 1. ubi spiritus sanctus rationem denominationis affert.

### §. XXIII.

Praeterea diferte hoc pugnat cum apostolorum argumento, a) qui non modo illa verba Messiae aperte dederunt, sed & totum argumentum, de Messia pronunciatum, in Christo exacte inpletum asseruerunt. Vocem itaque  $\Gamma\psi\delta$  in psalmi verbis neutiquam de Dauide, sed de Christo palam intellexerunt, qui in Iesum illa diferte referunt, quando enunciant: b) Iesus hic, *tuus filius  $\delta\upsilon$   $\epsilon\chi\epsilon\iota\sigma\alpha\varsigma$ , quem unxisti*, quem per spiritum sanctum in praefatio psalmi nominasti. Neque vero applicationem factorum Dauidis in fata Iesu appellant, sed impletionem: Herodes, Pontius Pilatus, populus Israel, id commiserunt in Iesu, quod Messiae hostes in illo commissuros esse Deus quondam praedixit; c)  *$\delta\sigma\alpha$   $\eta$   $\chi\epsilon\iota\rho$   $\sigma\alpha$   $\kappa\alpha\iota$   $\eta$   $\beta\epsilon\lambda\eta$   $\sigma\tau$   $\pi\epsilon\rho\acute{\omega}\rho\iota\sigma\tau\epsilon\nu$   $\gamma\epsilon\nu\acute{\epsilon}\sigma\theta\alpha\iota$* , quae tua manu futura esse, & in Messia euentura, desinite expressisti.

- a) Act. 4. 26.  
 b) l. c. v. 27.  
 c) l. c. v. 28.

### §. XXIV.

Accedit alterum argumentum, ex iisdem psalmi verbis per Apostolos desumptum, puta de insidiarum Christo & regno eius fructuarum imbecillitate, ac frustraneo euentu, ac de Dei potentissimi certissimo auxilio, pro regno Christi seruando. Vi harum promissionum possunt



poscunt apostoli a Deo praefens auxilium: a) *Et nunc o domine* Ἐπίθε ἐπὶ τὰς ἀπειλὰς αὐτῶν, καὶ δὲς δόλοισι σε μετὰ παρήσυχας πάσης λαλεῖν τὸν λόγον σου, *aspice minas eorum* Ἐπίθε *servis tuis, ut cum omni libertate sermonem tuum loquamur.* Apostoli ergo hoc suo argumento scopum Dei in psalmo secundo determinarunt, veram esse praedictionem de Messia, in Iesu reapse impletam. Nulla hic accommodatio rerum Davidis ad Messiam per apostolos admissa, sed immediatum praesagium de Christo, iuxta προρρητισμὸν, praedefinitionem Dei.

a) I. c. v. 29.

§. XXV.

Sequitur nunc in hoc psalmo ulterius v. 3. propositio hostium, eorumque decretum de regno Dei & Christi eliminando. Quando autor in exordio psalmi hostium congressus & consilia indicauerat, simul vana omnia illa senatus consulta, Dei & Messiae regno opposita, dixerat. Iam neruum consiliorum hostilium, breui eorum sermone exponit: *ננתקה את מוסרותימן ונשליכה עבדתימן*: *excutiemus profecto funes eorum, & abiciemus omnino a nobis lora eorum.* Imago animorum ferocium, de iugo conquerentium, qui indigna se pati credant, & libertatem vi quaerant. Qui aestus animi & affectus impetus in indignantibus sono aut roncho נה ה finalis superadditi in verbis ננתק & נשליך effigiatur. Vox מוסר quae *vinculum, funem sparteum* significat, index est iugi in collo boum, quando salices aut frutices adhibentur contorquendo ad funes, quibus agricolae vtuntur in ligando, in agris, curribus & boum armatura. Quale iugum vimineum Ieremias aliquando de collo suo suspensum gestavit. a) Cum voce עול coniungi reperitur מוסר quomodo pari modo est iugi circumscriptio. b) Appellatio vero iugi vti ad varia, ita & in specie in regimine ad legum

gum obseruantiam transfertur. c) Sicuti nihil iudaeis solennius quam עול תורה iugum legis. Et omnis mosaicarum legum obseruantia iugi nomine venit, nouo testamento in multis locis accinente. d)

- a) Ier. 27, 2. sequ.  
 b) Ier. 2, 20. 30. 8.  
 c) I. Reg. 12, 4. 9. sequ.  
 d) Matth. 23, 4. Luc. 11, 46. Act. 15, 10.

### §. XXVI.

Intelligitur iam facile, quid hostes Messiae velint dicendo: *excitemus iugum eorum*, Dei & Messiae; hoc est imperium eorum, quod non admitteremus, sed auertemus a nobis, dum ore sueto loquuntur, vt imperium dicatur iugum & vincula. Totum ergo regnum Dei & Messiae nolunt pertinaces illi hostes, regni confortes existere recusant, leges in nouo coelesti regno fugiunt & horrent. Quod est partim odium regni Messiae, partim impugnandi studium; vtrumque vero impenitentiae & incredulitatis character, ac perseverantia in veteri caligine, & in prioris seruitute haerendi propositum. Quae sane omnia ad tempora Christi pertinent, cuius aevo regnum Dei oriturum, quod iudaei non sint admitturi, sed impugnaturi ac persecuturi, vt euentus demonstrat. a)

- a) Conf. Matth. 22, 5. Luc. 4, 28. 29. 7. 30. 15, 2. 16, 14. 21, 12. 23, 2. 5. Ioh. 3, 40. sequ. 6, 66. 7, 48. 8, 6. 13. 48. 52. sequ. 9, 16. 29. 12, 37.

### §. XXVII.

Ferociae & proteruitiae hostium Christi & eius regni in profopoeia Messiae altera, opponitur Dei potentia v. 4. Circumscribit vero autor sacer Deum, pro suprema eius potentia neruose declaranda: יושב בשמים qui in caelo

coelo sedet, degit. Qui est character creationis, nuncius providentiae ac supremi regiminis. Qui condiderit coelum terramque, qui coram intueatur omnia quae condidit velut praesentissima, qui regat omnia quae fecit pro arbitrio. Significatio est supremæ potestatis penes Deum in omnes creaturas, ipsosque adeo hostes, cuiuscunque conditionis aut dignitatis. Qui in coelo sedem habet idem ac potentissimus supremus omnium rex. Huius divinae potestatis asseueratio augetur vindictæ nuncio *קִי־יִרִיד*, & *יִרְעַן* *subsannat*. Quae figura ab hominibus peccata, qui hostem ex imbecillitate illius temnunt & praecontemptu rident, vanumque conatum spernunt. a) Designat adeo penetrans haec figura non solum imbecillitatem hostium Christi, ac vanam laedendi illius regni persuasionem, sed etiam fiduciam in Christo, qui suprema Dei potentia se aduersus hostium iniurias munit. Cuius spei ac fiduciae vestigia in historia Christi multis casibus obuia. Quae omnia in praesenti carmine tam vivide expressa, vt & regni Christi membra & ciues in paribus fati firmam in Dei potentiam ponere possint fiduciam, metu expertes. Qualis animus ipsorummet erat discipulorum & Apostolorum Christi afflictorum, b) vt vi huius in psalmo hoc significatae fiduciae, a Deo expeterent hostium vindictam.

a) Iob. 41, 20. Pf. 37, 13.

b) Act. 4, 29.

### §. XXVIII.

Hanc Dei vindictam & iram certissimam praenunciat autor psalmi v. 5. quando Deum ad vindictam paratum depingit, qui suo tempore ita sit increpaturus hostes, vt sentiant, doleant, & porro offendere dediscant: *אֵת יְרִיבָרְךָ אֵת אֱלֹהֶיךָ* *ideo alloquetur illos in aestu suo, & in ira percellet eos.* Particula *אֵת* non incommode quidem redditur *tunc*,  
D
nem-

nempe inter illas Dei hostibus infensi fannas, vt merum fit *temporis signum*. Forte tamen non minus apte hic erit, vt alibi, NOLDIO obseruante, a) *mox, ideo*, vt causae & ordinis fit nota. Alloquium autem illud Dei non tam est verborum, quam facti, vt intelligant & sentiant hostes iudicium diuinum, haud aliter acsi Deus pro tribunali contra illos esset locutus. Affectus enim vehementis iudicis Deo hic pro analogia humana tributus est, quippe qui non missurus sit inultos malignos illos, & comprehendit simul affectum hostium Messiae, quibus terror esset incutiendus, quando vindicem Dei manum cum dolore sentirent. Quae hostium ex iudicii diuini seueritate consternatio, eiusque contemplatio, immotum testatur Christi in tot aduersis pectus, animum erectum & mentem ferenam. Hostium tremor est Christi & regni eius in Deo vindice gaudium. Inexhausta profunditas affectuum in Deo, iusto iudice, hostibus persecutoribus perterrefactis, & Christo, afflicto quidem, sed praesentis animi pleno, in oculis debent esse attentis lectoris, quibus inspiciendis & obseruandis non sufficit maxima quaeque ingenii vis.

a) Concordant. particul. Ebraeo Chaldaic. edit. Jen. 1732. p. 6.

### §. XXIX.

Praesagiuerat autor diuinus, in prosopopoeia Christi terribilem Dei vindicis sententiam in hostes Messiae, quae pro hoc & regno eius apologiam veheret. Hanc pro maiestate Christi & regni eius suprema auctoritate apologiam pertexit prosopopoeia Dei v. 6. *אֲנִי מֶלֶךְ צִיּוֹן* omnino ego constitui regem meum super Zionem montem sanctitatis meae. Quod effatum Dei, quo immutabile continetur decretum de Christo rege, quod non possit elidi, ita accipiendum, vt enuncietur sono forti ac penetranti, qui hostes

stes prostrat. Huc faciunt tum aptus rebus & affectibus datus sonus, tum argumentorum pondus. Ante omnia supremam suam Deus testatur autoritatem ac potestatem, cuius vis amplissima sita in pronomine  $\text{אני}$  *ego*. Praefixum hic non tam copula, quam vehementis asseuerationis nuncius, *certe, profecto, omnino*; quae significatio teste NOLDIO a) passim obuia. Quae asseuerandi formula est obliqua refutatio fucatae opinionis in hostibus, qui sibi persuaderi nolint, illum esse Messiam. Quem autor antea b) appellauerat sedentem in coelo, eundem nunc indigitat pronomine *ego*; quae vox hostibus terribilis, quae velut fulmine percillantur, supremo omnium rerum arbitro indicato, cuius facultatem agendi & constituendi, ac potestatem efficiendi frustra pernentent. Vti ergo  $\text{אני}$  hic est supremi iuris argumentum, ita est robor decreti diuini de Messia declarato.

a) Concord. Partic. Ebr. Chald. p. 248.

b) Vide supra v. 4. §. 27.

§. XXX.

Irrefragabile Dei arbitrium Messiam declarandi ac constituendi exprimitur verbo  $\text{אנישתי}$  a) *promulgavi, constitui, renunciaui*. Quae est determinatio personae pro Messia dudum praedicto, & indicium certi complementi promissionum, quae saepissime olim, & recentissime Dauidi per Nathanem contigerant de Messia ex illo orituro. Pro illa promissione, hic, inquit Deus, est ille Messias, quem pro decreto meo me missurum dixi. Restrictio per primam personam  $\text{אני}$  *regem meum*, est circumscriptio aut determinatio veri Messiae, qui regni Dei rex futurus, qualem iam supra notauimus in pronomine relatiuo tertiae personae. b) Qui ergo antea vnctus Dei dictus, idem ille Iesus nunc appellatur analogo caractere

rex Dei, quod per se idem. Quanquam enim, vt in initio monitum, omnes reges a Deo, singularis tamen haec appropriatio non nisi ad solum Christum restricta.

a) Reddunt alii *vuxi*, contra vim vocis. נָסַךְ quidem interdum *fundere, infundere*, notat, quod de libaminibus dicitur in *l'ara*. Quo sensu נָסַךְ est *infuso, libamen*, sed de vnctione non vsurpatur. Duo sunt loca in quibus נָסַךְ pro contextu est *declarare, constituere*, hic Psalmo 2, & Prou. 8, 23. vbi sapientia suam in Deo dignitatem ante orbem conditum celebrat: *ego ante orbem נִסְכְּתִי declarata, constituta sum*.

b) Vide supra §. 18, v. 2.

### §. XXXI.

Sedes regni Christi expressa verbis על צִיּוֹן הַר קְדוֹשִׁי *in Zion monte meo sancto*. Figura loquendi sumta a regno & territorio iudaico, tanquam primo regni Christi exordio. Quoniam a Dauide superior Hierosolymorum ciuitas, vbi mons Zion, apparata pro arce regia & sede cultus sacri, a) hinc mons Zionis, metonymia apta & sueta, pro toto regno a primaria sede sumitur; vt in Zion rex, idem sit ac totius gentis iudaicae rex aut caput. Ita & pro analogia totum regnum Christi appellatur Zion, b) quia Hierosolymis originem sumturum esset illud regnum, quod tempore Christi omnino factum. c) Ex quo capite & Hierosolyma noua, Christi ecclesia audit. d) Quae regni Dei forma sub Messia illustratur elogio montis sancti, qui mons sanctitatis diuinae vocatus, e) ex veri Dei cultu sacro, ab idololatria libero, ibi instituto. Christus ergo declaratus rex Dei in monte Dei sancto, est rex sanctissimi regni, in quo doctrina pura & vera sanctitas regnet. Quandoquidem ergo tempore Christi cultus Dei purus & sanctus magis per Christum apparandus, ecclesia quo-

quoque Christi pro analogia audit mons verae sanctitatis diuinae. f) Quia euangelium aut Christi doctrina in media gente iudaica oritura, a primo hoc exordio nomina sunt seruata, pro primorum scriptorum, prophetarum & apostolorum stilo, iudaeis familiari.

- a) 2. Sam. 5, 7. 6, 16. 1. Chr. 11, 5.
- b) Matth. 21, 5. Ioh. 12, 15. Rom. 11, 26.
- c) Luc. 24, 47.
- d) Hebr. 12, 22.
- e) Pf. 3, 5. 43, 3. 121, 1.
- f) Ef. 2, 2. Mich. 4, 1. 7.

### §. XXXII.

Sic Iesus Christus verus rex in Dei regno constitutus, a Deo declaratus, publicatus, ac velut praeconum ore proclamatus. Sane Christi tempore, Iohannes cum roto euangelistarum & apostolorum choro, testes veritatis, nuncii Messiae, qui verbis, concionibus, epistolis, fatis clare Christum Dei nomine & spiritu proclamarunt.

a) Hinc vana hostium contra Dei regnum molimina in Christo, quem Deus pro Messia aut rege solenniter denunciauit, prodigiis etiam clamantibus.

- a) Matth. 3, 16. Marc. 1, 10. Luc. 3, 12. 4, 22. Ioh. 1, 7. 26. sequ. 5, 33. Act. 4, 33. Rom. 9, 1.

### §. XXXIII.

Ex superioribus ergo manifestum, cuncta haec in psalmo vnice pertinere ad Christum, qui vnus Dei rex, in Dei aut coelorum regno, nihil vero horum ad Dauidem eiusue regnum. Longissime proinde a vero sensu & scopo, a dignitate praesagii diuini, a regni Christi gloria abit fictus geminus sensus, historicus de Dauide, emi-

nentior de Messia, qui omnem oraculi diuini vim eneruare cupit. Hoc enim modo regnum Christi nihilomelius regno Dauidis, quin hoc illo praestantius fuisset, cui immediate illa Dei effata adaptata. Quod esset reapse eludere celsas promissiones, quibus prophetae & apostoli nixi, qui si umbram solum regni Dauidis cognouissent regnum Messiae, cum proprie Dauidem tangerent, fragilis esset omnis illorum assertio, & praeconium regni Messiae anceps & vagum. Quanto satius itaque, quanto verius, Christo soli concedere, quae pro spiritus sancti effato sunt solius.

§. XXXIV.

Dixerat autor Dauid, Christum pro Messia a Deo esse declaratum; iusto nunc ordine & nexu in noua Messiae prosopopoeia proclamationis diuinae neruum aut ipsam formulam solennem allegare instituit v. 7. אֲסַפֵּר אֶל־יְהוָה אֲמַר אֵלַי *nunciabo, recensebo illud insigne: a) Deus pronunciauit de me.* Quae praesentissimi animi verba, tanquam firmissimum munimentum aduersus hostium insultus, in quo agnoscant, frustra se laborare in regno suo extinguendo, quippe qui sciat irrefragabili se niti decreto & effato Dei. Collimat aperte in oraculum Dei per Nathanem, b) quo Dauidi promissus erat ex suis posteris Messias, rex, qui regnum Dei suscitaturus in vera iustitia & sanctitate. Comprehensa autem familia permulta oracula de Messia Dei filio, tam vetera quam praesentia, vel ex coelo, vel per Iohannem, vel per spiritum sanctum in Apostolis pronunciaata ac promulgata. c) Praesignificauit spiritus sanctus hoc hymno, euentum exacte responsum Dei nuncio & decreto; Deum de Christo filio suo idem frequenter pronunciatum, quod per Nathanem pronunciaasset. Hoc intererat ecclesiae veteris scire & praescire, pro spe in Christum eiusque regnum ser-



feruanda; intererat & ecclesiae nouae, cuius facies in psalmo sistitur, apostolorum & christianorum, cum praedictione ipsius Messiae ore euentum conspirasse iterum ex Messiae ore, qui in disputationibus cum iudaeis se Dei filium esse animose demonstrauit, illorum improbitatem grauitate perfrinxit, nouis argumentis de sua diuinitate aeterna illos conuincens.

- a) Reddunt communiter **אֵל חָק** nude *decretum*, vt **אֵל** idem sit ac **אֵל** nota obiectioni; verum, etsi illud iure feratur, integrum tamen esto **אֵל** hoc loco reddere *tale, illud, tantum*; quo sensu in plurali **אֵל** & **אֵלֹהִים** *illi, illae, illa, talia*, frequenter occurrit. Mea quidem sententia aut coniectura **אֵל חָק** est *illud, tale decretum*, quod iam iam laudauerat, & cum emphasi pronuciari debet.
- b) 2. Sam. 7, 1. sequi. 1. Chron. 17, 1.
- c) Matth. 3, 17. 14, 33. 17, 5. 26, 63. 64. 27, 54. Marc. 1, 11. 3, 11. 9, 7. Act. 13, 33. Rom. 1, 4.

§. XXXV.

Huius diuini oraculi aut decreti, de aeterna Messiae diuinitate, utpote vero aeterni Dei filio, verba, in propopoeia Dei sunt: **אֵלֹהִים יְלֵדָתִיךָ הַיּוֹם אֲנִי אֵלֶיךָ בְּנֵי אֵתָה** *filius meus tu es, ego hodie genui te*. Quae est luculentissima designatio diuinitatis Christi ex aeterna generatione ante omnia secula. Messias, filius Dei verus, essentialis, diuinae naturae & essentiae, cuius diuinitas ex patre aeterna. Quae assertio basis & fundamentum regni diuini & coelestis; qui si non filius exiitisset Dei, Deus ex Deo, regnum non nisi humanum, fugax & vanum apparasset, non diuinum & coeleste. Quod non futurum, nisi iuxta praefagia diuinae fuisset naturae, quae cum humana coniuncta, vtraque in vno Messia simul potis esset regnum susci-

fuscitare illud, cuius dominium in peccata, mortem, inferosque omnes, cum toto diabolorum cohorte. Quamobrem hoc Dei effatum, fulmen est, in omnes Christi hostes, in principio carminis memoratos, vibratum, qui sentirent sibi rem esse non cum mero homine, sed cum Dei filio, cuius regnum omnibus insidiis hostium superior. Est sane hoc patris coelestis decretum de filio suo, Messia, neruus vniuersae historiae euangelicae, non solum quoad Christi potentiam, salutis omnigenae & sempiternae opus conficiendi, quo nitatur omnis hominum beatitudo, tum in hac tum in altera vita, sed & quoad certamina cum hostibus atrocissimis, dum ageret Christus inter iudaeos, contra quos suam diuinitatem millies vindicauit.

## §. XXXVI.

Noui testamenti scriptores laudato Dei de Christo effato, utpote omnium apertissimo, frequenter vsi, pro iudaeis conuincendis. Memorabile imprimis auctorem epistolae ad Hebraeos a) vtrumque oraculum Nathanis prophetae & psalmi secundi, de Messiae diuinitate arctissime combinasse, ac pro illo scopo demonstrando, sensu genuino & literali allegasse, utpote qui maior angelis, quia Dei filius. Pariter ex diuinitate Messiae, vi psalmi secundum, praeclare adfruit idem auctor b) Messiam esse summum etiam sacerdotem ac regem. Quae coniuncta omnino tam sunt sublimia, sed & tam profunda, ut non solum iudaismum omnem euertant, sed & prae regni & sacerdotii Christi maiestate adorari magis possint, quam verbis exprimi.

a) Cap. 1, 5. cui vnquam angelorum dixit Deus: *υἱός μου εἶ σύ, ἐγὼ σήμερον γενένηκά σε. filius meus es tu, ego hodie genui te* (Pl. 2. 7.) & rursum *ἐγὼ εἶπα πᾶσι ἀγγέλῳ ἐς πατέρα, καὶ αὐτὸς ἔσται μου εἰς υἱόν. ego ero ei pater, & illo erit mihi filius.* (2. Sam. 7, 14.)

b) Ep.

b) Ep. ad Hebr. 5, 5. Christus non ipse sibi hunc honorem sumpsit, ut fieret pontifex, sed ille hunc ei dedit honorem, qui dixit ad eum (Ps. 2, 7) filius meus es tu &c. Accedente oraculo Psalm. 110. de Messia summo sacerdote.

## §. XXXVII.

Pergit autor diuinus distinctius & clarius in hac Dei profopoeia describere regnum Christi, quod iam supra Deus Messiae tribuerat. Cuius possessio cum a Deo sit expectanda, ante omnia commendantur preces Messiae, qui regnum a patre expetat: **מִמֶּנִּי שְׂאֵל** *pete a me*. Quamuis Christus per se regni diuini haeres, dum filius Dei, quia tamen sub idea regni externi Messiae regnum exprimitur, ita pro digni haeredis genio erga parentem, precibus efflagitare non destitit ardentissima humanae naturae deuotio. Huc tendit summa precum Christi pro regni gloria in oratione: a) *Pater venit hora, glorifica filium*. Nec solum ipse Christus precibus apud Deum intercessit, sed & ciues suos ita rogare iussit: b) *Veniat regnum Dei, in quo fiat voluntas Dei, in terra non minus ac in coelo*.

a) Ioh. 17, 1. sequi. 5, 6. 11. 15. 17. 20. Conf. Cap. 14, 16.

b) Matth. 6, 9. sequi.

## §. XXXVIII.

Huiusmodi Messiae precibus promittit pater desiderii & voti summam: a) **דָּבַרְתִּי לְיִשְׂרָאֵל** *dabo gentes*, quae non solum eadem, de quibus ipse disseruit Messias, quae illi aduersae, iudaei, inter quos natus & versatus, sed & exteri, per totum orbem dispersi. Horum erga Christum deuotio appellatur **יְרֵחָה** *haereditas*, pro effigie status prisca regni iudaici, quod israëlitis in Cananaea pro haereditate promissum. b) Ad cuius similitudinem re-

E

gnum

gnum Christi spirituale, quod animos regat & gubernet, effigiatum. Per haereditatem ergo hic designati non solum homines omnes, ad Deum per Christum ducendi, sed & modus haereditatem illam, seu ciues regni haereditarios, per omnia orbis imperia, per iudaeos & gentes, gubernandi, doctrina verbi aut euangelii. Insimul scopus indicatur, omnes sine discrimine saluandi & ad vitam aeternam ducendi, si verbum & euangelium, doctrinam salutis amplectantur. Huc omnes Christi conciones ad suam haereditatem, huc Pauli orationes, qui cum ceteris apostolis, Christi ministris, ad vocationem conuersionemue gentium a Christo destinatus, & vnam ex iudaeis & gentibus haereditatem, vnam ex vtrisque gentem Christo deuotam colligere iussus. c)

- a) Cuius paternae in filium propensionis affectus, a Christo faepissime commendatus, *dilectione patris in Messiam filium celebrata*, Ioh. 17, 24. *fac videant gloriam meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante initia mundi* v. 26. *dilectio, qua dilexisti me, sit eis*. Matth. 28, 18. *data est mihi omnis potestas, in caelo & in terra*.
- b) Gen. 12, 7. 13, 15. 17, 8. 26, 3. 4. 28, 13. 14. Leu. 20, 24. 1. Sam. 10, 1.
- c) Ef. 60, 1. sequ. Matth. 24, 14. Act. 10, 34. sequ. 13, 46. sequ. 15, 7. sequ. 22, 21. 26, 22. 23. Rom. 2, 10. 11. 8, 17. 9, 24. 10, 12. Gal. 1, 16. 2, 2. 3, 8. 9. Eph. 3, 1. sequ. 1. Petr. 1, 4. 1. Tim. 2, 4. 3, 16.

### §. XXXIX.

Quae vniuersalis regni Christi administratio per euangelii verbum confirmatur amplius: *וְכָל אֲרָצוֹת תְּחִלָּתוֹ וְפִסְתִּיךָ* & *possessionem tuam fines terrae*. Qui filius petitus a regni iudaici situ, quando fines terrae appellati vltimi regni iudaici limites, pro integra circumferentia per omnes plagas. a) Pro qua finium veterum terrae israeliticae analogia, regnum Christi, quod iudaeos & gentes complectetur,

retur, fines habebit, vltimos orbis totius fines. Quae est luculenta ecclesiae Christi effigies, per totum orbem disseminatae, cuius ciues, sub quocunque alio externo imperio, sint ita Messiae addicti, vt boni & recti, iusti & sancti, per hanc vitam migrent ad aeternam. Atque ita hac Dei prosopopoeia denunciatur vniuersi orbis ad regnum Christi conuersio, ad obedientiam fidei, ad spiritus obsequium, ad beatitudinem aeternam, ad finem orbis per apostolos & fidos verbi ministros tentanda, continuanda ac propaganda. b)

a) Num. 34, 2. sequ. Ios. 12, 1. sequ. 13. Iud. 11, 13. 22.

b) Pf. 22, 28. Ef. 9, 7. 45, 22. 52, 10. Zach. 9, 10. Matth. 24, 31. Marc. 1, 45. 13, 27. Luc. 9, 6. Act. 1, 8. Rom. 15, 19. Col. 1, 23. Apoc. 11, 15.

### §. XL.

Quoniam vero non solum difficilis sed & rara hominum solet esse conuersio, iudaorum non minus ac gentium, qui aegerrime desistant a prauis, difficile emendentur, mundi voluptates inuiti deserant, spiritu Dei & doctrina Christi vix ducendi; vnde reluctantia, contemptus oblatorum bonorum, & pugna cum verbo: sequitur impoenitentium & praefractorum illorum poena. Hoc seuerum de hostibus repugnantibus, quales in v. i. palam definiti, iudicium, Deus in praesentis psalmi prosopopoeia v. 9. commisit Christo: *הָרִיעַם בְּשֵׁבֶט בְּרֹדֶן*: *confringe illos*, percutite illos, *scipione ferreo*, ferro munito, tanquam securi. *שֵׁבֶט* generale nomen, virgam, baculum, scipionem, sceptrum significans, indicium iudicum aut regum primaeuorum, qui ligneo baculo & fuste vtebantur pro simbolo gubernaculi. Huic scipioni aut sceptro regio, ferreo vel ferro munito, vis confertur ferendi & comminuendi, eleganti & penetranti metonymia, dum potestas regis vindicatiua reos aut refractarios plectit, ad sup-

plicium rapit & delet. a) Ita & hic Messiae tribuitur illa vis, scepro suo ferreo hostes percutiendi, quando Christo a patre omnis data potestas in coelo & in terra, b) omne iudicium, quo utatur in supplicium hostium sui regni & suae doctrinae. Eadem iudicii seueritas illustratur figura altera: **וְיִצֵר תְּנַבְּצֵם; כְּכֹלֵי יִצֵר** *tanquam vas figuli comminuet eos.* Quae locutio scite opponitur persuasioni hostium, qui potentiae suae nimium tribuebant, ac consiliis suis callidis regnum Christi pessundare cupiebant. Imaginariam hanc potentiam, dicit autor, quasi testaceum vas, quod facile frangitur, iri percussum. c)

a) Num. 24, 17. Pf. 110, 5. 6.

b) Matt. II, 27, 28, 18. Luc. 10, 22. I. Cor. 13, 27. Eph. I, 22.

c) Conf. Jer. 19, 11. Apoc. 2, 27.

### §. XLI.

Absolutis his Dei de Messia eiusque regno diuino, per totum orbem diffundendo, oraculis, Messias v. 10. noua prosopopoeia affatur illos hostes, quorum iniusta arma iam in exordio prostrauerat: **נִּינְעָה מְלָכִים** *nunc ergo, reges, imperantes,* quos in principio compellauerat, a) qui Christo aduersi, regno illius infesti, iudaeorum praeteris capita, regiminis iudaici antistites, cum Romanorum praesidibus, quorum opera iudaei vterentur in Christo premendo & christianis extinguendis. Hos iubet Messias sapere, **וְיִבְרִירוּ** *rationem inite,* perpendite, animo versate, intelligite, animum aduertite, sapite. Quam adhortationem adauget noua commonesactione: **וְיִסְרוּ אֶתְּכֶם; שִׁפְטֵי אֶרֶץ** *corrigimini iudices terrae,* iidem illi, qui reges, consules, antistites, consiliorum arbitri, inter iudaeos Messiae aetate, & dein inter gentes. Hos hortatur, ne temere furere pergant, sed mentis compotes sibi

con-

consulant. Quae est compendiosa suggestio priorum argumentorum, quibus probauerat, frustra & cum damno proprio impugnari Messiam. Rectius ergo iam tandem iudicare suadet, & argumentis probe consideratis institutum mutare. Est haec summa frequentis contentionis Christi cum iudaeis, quos dehortabatur a feralibus coeptis persequendi filium Dei & verbi veritatem. Affectus imprimis blandissimus, gratiae plenus, in ore Messiae hic attendendus, qui in orationis principio iratus illos conuicerat vanae machinationis, seuere illos monens; nunc sub finem ad eosdem iterum se conuertens, humaniter & benigne monet, abstineant. Hoc inter legendum sonus placidior & benignior exprimere debet. Quae placidissima animi erga hostes affectio in Christo per omnem historiam euangelicam diffusa, qui praec misericordia etiam in summa cruce preces funderet pro hostibus: Pater remitte illis, nesciunt enim quid agunt. b)

a) Vid. supra v. 2. §. 16.

b) Luc. 23. 34.

### §. XLII.

Post generale illud poenitentiae consilium, speciatim Christus aduersarios ad reuerentiam & timorem Dei inuitat & admonet, vt vtrumque, quem impugnent, patrem & filium, reuerentur & obseruent. Collimat autor in exordium, a) quo pronunciauerat, quod Deum & Messiam eius imprudenter & temerarie lacefferent. Vti ergo epilogus orationis responderet exordio, ita distincte ad vtriusque obseruantiam illos pellicit v. II. & primo quidem ad Dei reuerentiam *אֵת יְהוָה עֲבֹדוּ* *seruite Deo*. Seruire est deuotionis, obseruare superiorem, qui ius habet in inferiorem. Quae est inuitatio proximior ad agnitionem verbi & euangelii, quo verus Dei cultus compre-

hensus, & dehortatio a pertinacia veteri pro iudaico carnali studio. Monuerant prophetae, b) pro cultu iudaico eliminando substitutum iri cultum Dei sinceriolem, puriorem, pro effato Pauli. c) Hunc Dei cultum in fide & veritate consistentem Messias commendat, ad illum vocat, de quo Christus ad samaritanam feminam: d) *in hoc templo non adorabunt posthaec patrem, sed in spiritu & veritate*. Ex hoc Dei cultu, ad quem apostoli in omnibus epistolis inuitant omnes, fideles quoque nomen nacti feruorum aut cultorum Dei, e) qui diuinum instituerent cultum, rationabili seu mentis & pectoris deuotione erga Deum. Qua via adhortatio ad Dei cultum, est tacita reprehensio iactantiae iudaicae, qui clamabant: *nos colimus Deum, filii Abrahami, cur ergo nostrum reprehendis cultum*. Respondit Christus: f) *si Deum coleretis, non persequeremini me, sed iam paratis necem meam, quod non est colere Deum*. Suadet itaque Messias, mutare animum, Deo & regno illius se submittere, hoc est christianos fieri, & vt christianos se gerere, vt Deum ex animo colere discant, non hostes amplius Dei, sed regni diuini ciues. Quare addit **יִרְאָהוּ** *in timore*, quae est significatio periculi impendentis, si Deum colere, christianam regulam sequi detrectent, & veritatem premere pergant. Quaquam in vero christianismo timor Dei maneat, cum securitas nulla locum habeat, cauendumque, ne quid peccetur, ira diuina dignum; tamen hic timor, quem ingerit hostibus, est metus supplicii, ex contempto vero Dei cultu. Quem poenae metum autor dein v. 12 clarius exprimit, Deo ad iram commoto, ad vindictam parato.

a) §. 17. 18. v. 2.

b) Ef. Cap. 24. 25. 32. 48. 65. Jer. 8, 5. sequ. Cap. 19. & 22. Conf. Matt. 21, 43.

c) ad Rom. 12, 1. sequ.

d) Joh. 4, 20. 21. sequ.

e) 1. Cor.



- e) I. Cor. 4. 1. 7. 22. 2. Cor. 6. 4. 11. 23. Eph. 6. 6. Colof. 4. 12.  
I. Petr. 2. 16.
- f) Joh. 5. 42. 43. 8. 39. sequ.

## §. XLIII.

Illustratur hoc monitum de nouo גִּילּוֹ בְּרַעְדָּה & *exultate cum tremore*. Inuitantur quidem hic ad solidius gaudium in vero Dei cultu, in regno Messiae seu christianismo iudaei; veruntamen oblique aduersariis exprobratur gaudium, quo se in technis, insidiis ac deliberationibus suis contra Deum & Messiam efferant. Illorum גִּילָה aut גִּילָה גִּילָה *exultatio*, est temeraria confidentia in perdita sua consilia, rem Dei omnem in Messia eludendi. Qualis persuasione tenacitas & animositas in iudaeis antistitibus aetate Christi vndique prodita. Imperatius proinde גִּילָה *exultate*, si in se recte consideratur, non est hortantis & suadentis, sed potius dehortantis & exprobrantis. Salsissima reprehensio animi intempestiue exultantis, & indirecta comminatio gaudii in dolorem breui commutandi. Quare iungitur aperte exultationi damnatae periculi metus, ex poenae propinquitate: *exultate, sed cum tremore*. רָעַד *tremere*, curate loquendo, illum animi pauorem designat, quo metus damni iam tum sensum exitii ingenerauit. a) Est adeo luculenta denunciatio secuturi supplicii, nisi mature institutum vel negotium mutetur. Quomodo Christus saepissime praesignificauit fata tristissima cum reipublicae interitu, nisi animum moresque mutant. b)

a) Exod. 15. 15. Pf. 48. 7. 104. 32. Dan. 10. 11. Esr. 10. 9.

b) Matth. 13. 37. sequ. Luc. 13. 3. 5.

## §. XLIV.

Postquam ad reuerentiam erga Deum patrem inuitauerat Christus aduersarios, quos, vt monitum, in principio

pio carminis nominauerat; nunc ordine scitissimo eodem ad Messiam etiam pellicit, vt huic se dedant deuoti, quibus maturam associationem ad regnum suum diuinum suadet v. 12. Quae ad Christi regnum appropinquatio, blandissimo celebratur verbo: *נִשְׁקִי בֵר* *osculamini, complectimini filium.* Figura sermonis sumta a symbolo deuotionis in regno & associatione quorundam ad regnum. Quoniam hic Messias compellat hostes primarios, reges & iudices, eosque in regni sui diuini societatem vocat, in illum alludit ritum receptum, quando manum regis porrectam associandi complexi & deosculati. Qui complexus & osculum infixum index gratiae superioris erga alterum, & obseruationis ac deuotionis erga superiorem. a) Tanto autem sollicitius autor sacer adhibet blandum hoc verbum, pro obedientiae & consociationis testimonio, quanto illustrius argumentum impensissimi amoris in regno; hoc regnum non iugum esse, non onus, nec consistere in herili imperio & seruili obsequio, sed in gratia & clementia regis in ciues, ac in horum ardentissimo amore in Deum & Messiam, in voluptate obsequendi, & regni dignitatem obseruandi. b) Sic complecti & osculari est character fidei in Messiam, declaratio spei in illum positae, & sponso obsequii. Comprehendit Christus hac locutione totius christianismi beatitudinem: *haec est vita aeterna, vt te patrem, & quem misisti filium agnoscant,* c) vt hos audiant & ab illis omnigenam salutem accipiant. Haec agnitio & complexus filii est omnis christianismi anima, vt ex eo & per eum perueniamus ad patrem, d) adoptati per filium, haeredem omnium, in haeredes Dei, e) vt siamus ex hostibus Dei amici & filii Dei, f) ex seruis & mancipiis peccati ac mortis, liberi & haeredes coeli & vitae aeternae. g)

a) Gen. 41, 40. 1. Sam. 10, 1. 1. Reg. 19, 18. Hof. 13, 2. 2. Chr. 30, 8.

b) Matth. 11, 28. 29. c) Ioh. 17, 3. d) Joh. 14, 6.

e) Rom. 8.

e) Rom. 8, 17. Eph. 1, 11. f) Rom. 5, 110. Gal. 3, 26. g) Gal. 4, 5, 9, 7.

## §. XLV.

Inuitauerat Christus hostes sui regni ad illius societatem seria commonefactione, verbis non rogantis, sed grauius hortantis, iam aperte immorigeris iram Dei monstrat, quam supra a) praenunciauerat: **פֶּן יִרְאֶה אֱלֹהִים** *ne spiret iratus*, siue accendatur Deus. Quia tertia est persona, videri poterat pertinere ad antecedentem vocem **בֶּר** filium, ipsummet Messiam, cui iudicium datum; sed quia illud iudicium promiscue in nouo testamento nunc Deo patri, nunc Christo, frequentius tamen Deo adscribitur, etiam hic commodius Messias Deo hoc decretum tribuere videtur. De hoc enim paulo ante dixerat: colite Deum cum timore. Contextus adeo suadet sensum esse: metuite Deum, ne qua in vos inardescat, vos increpet & perdat. Huius irae diuinae & poenae certissimae propinquitatem monstrat verbis: **וְתִהְיֶינָה בְּרַחֲמֵי הַיָּם** *vt pereatis in via*. b) Non modum aut rationem, vt credi poterat, indicat; sed opus continuatum, perseverantiam sceleris, feruens factum, *auf frischer that* / subito. Ne, inquit, pereatis in ipso scelere vestro, dum occupati estis in regno Christi turbando & lacescendo, dum in ipso insidiarum vestrarum & persecutionum impetu versamini.

a) vid. §. 28. v. 5.

b) Ellipsin esse praefixi **ב**, vt **וְתִהְיֶינָה בְּרַחֲמֵי הַיָּם** pro **וְתִהְיֶינָה בְּרַחֲמֵי הַיָּם** ponatur, facile apparet. Significare autem h.l. vocem **וְתִהְיֶינָה** subito, recte monet **NOLDIUS**, Concord. part. p. 211. Quo sensu sumitur 1. Sam. 6, 12. Pf. 102, 24. Conf. Matt. 5, 25.

## §. XLVI.

Proximum hoc & impendens aduersariorum Christi omnium & imprimis iudaeorum exitium manifestissime profatur Messias in hac sua oratione: **בְּרִי יִבְעַר בְּמַעַט אֶפֶס**  
F nans

*nam inardescet breui ira eius.* Quae est significatio incorrigibilis malitiae, in hostibus emendari nesciis, longanimitatis diuinae finitae, & immutabilis Dei de hostibus his plectendis sententia. Antecedens ponitur pro consequente, ira pro decreto irati, pro supplicio definito, vi iusti iudicii. Quod diuinum decretum & sententia per prophetas abunde praesignificata, a) a Iohanne & apostolis indefinenter repetita. b) Euentus quoque in iudaeis pertinacibus, veritati aduersis, doctrinae Christi inimicis, huic effato respondit, flammis ex vrbe & templo hierosolymitano in coelum assurgentibus.

a) Ier. 17, 3. 4. Hof. 8, 5. Zach. 10, 3.

b) Matth. 3, 7. 10. Luc. 3, 7. Rom. 1, 18. 1. Thef. 2, 16. Apoc. 6, 17.

#### §. XLVII.

Demonstrata luculentissime per Messiam suae personae diuinitate, adeoque regni diuini praesentia, indicata vana hostium contra vim veritatis machinatione, denunciato quoque improbis indubitato exitio; claudit orationem nuncio omnis prosperitatis & salutis, quo ecclesiam afflictam erigat, & bonis regni sui consortibus animum addat ad perseverantiam in fide & veritate. Sicuti tota haec oratio Messiam sistit velut in terris iam praesentem, qui suum regnum gubernare instituat, qui vtrumque coetum, retractariorum & fidelium, coram intueatur; ita oblique velut praesentes nunc affatur bonos regni sui ciues, vultu quasi a malis auerso, & ad bonos flexo. Quae mutatio orationis, affectus quoque mutatum habitum nunciat. Hostes intuitus, quibuscum longo sermone egerat, illos conuincens, obtestans, a prauis coeptis deterrens, imo ad sanio rem mentem reuocans, frontem omnino prae se tulit seueram & austeram, etsi humanitate temperatam. Nunc ad suos versus, suum contemplatus fidelium coetum, serenam monstrat frontem & vultum gratiosum.

#### §. XLVIII.

## §. XLVIII.

Huc tendit laeta illa & praedulcis prosperitatis denunciatio, blandissimo vocis sono: אֲשֶׁרֵי כֹל חוֹסֵי בִי בֵּנֵי  
*bene omnibus, qui confidunt illi, Deo.* Vox beatitudinis est encomium praestantis & fortunati regni Christi ac civium eius, ratione doctrinae diuinae & beatae, quam nesciant aut non admittant hostes illi. Est commendatio conscientiae & mentis serenae in bonis & fidis regni membris, qui sine metu seruii lacto ore Deum compellent patrem. Est imprimis pollicitatio auxilii diuini, protectionis & gratiae coelestis in aduersis, in afflictionibus, quas hostes parent aut concient, vt fiduciam & spem habeant emergendi, superandi & vincendi. Quae magna beatitudinis momenta in regno Christi, per vniuersum orbem, tam breui vnus verbi complexu comprehensa. Hinc illa benignissima vox *μαρτύριος, μαρτύριος* saepissime in ore Christi, a) hinc faustissima promissio paraleti aut consolatoris, spiritus sancti, afflictis dandi, hinc beatissima vitae aeternae pollicitatio. b)

a) Matth. 5, 3. sequ. Luc. 6, 21. sequ.

b) Ioh. 14, 16. 26. 16, 7. 13. sequ.

## §. XLIX.

Haec in terris aeque ac in coelo prosperitas & beatitudo celebrata ore Messiae in epilogo huius psalmi, pro erigendis pressis & afflictis regni ciuibus, quorum pectus, fiducia in Deum posita plenum, hic detegitur vocibus אֲשֶׁרֵי כֹל חוֹסֵי בִי בֵּנֵי salui & incolumes in tot tantisque iniuriis omnes qui confidunt Deo, qui illo nituntur, qui illi se committunt. Cuius ira in hostes Christi antea descripta, Dei puta, illius fauor in bonos commendatur. Tamen enim eadem sit fiducia in Christum, Dei filium, & Deum patrem, huic tamen urgente contextu speciatim

hic tribuitur. Confugere & confidere connotat pericula quidem nunquam delitura, nunc ab his, nunc ab illis; prout iudaei & gentes non desiterunt Christi coetum premere: attamen subnotat simul fidem, Dei promissis a bonis praestandam, animum imperterritum in mediis turbis, pro effato Pauli: *si pacem habemus cum Deo, nihil est quod nos terreat; si Deus pro nobis, quis contra nos?* a) Quae animi praesentia omnes hostium temnit infidias & iniurias, vt bonorum aut fidelium christianorum quisque verbis vtatur Christi ex psalmi huius exordio: quid iuuat vos hostes machinari, pugnare, pro exstinguendis bonis, pro verbo & veritate delenda? in vanum laboratis, nos salui hic & in aeternum. Et haec est commendata tantopere a Christo & Paulo victoria de peccato & morte, illo sublato & hanc esse exstinctam. b) Quae inexplicabilis beatitudo, felicitas incomparabilis, salus huius & alterius vitae infinita.

a) Rom. 5, 1. 8, 31.

b) Ioh. 8, 51. Rom. 6, 9. 17. 18. 8, 2. 38, 34. Eph. 2, 5. I. Cor. 15, 54. sequ. I. Ioh. 5, 4.

§. L.

Ex omnibus his & singulis, quae in medium sunt prolata, luce clarius est, quam grauiter impingant supra nominati Socinianorum duces, cum asseclis, qui psalmum hunc, eiusdemque verba tanti momenti primario ad Dauidem, secundario ad Messiam referunt. Quibus scopos feribentis, contextus, vis argumentorum, apostolorum coetus, totumque nouum testamentum aperte contradicit, & de Dauide intelligi posse pernegat. Sed quo non dilabitur vel negligentia vel imperitia? Exegetis maximam poseit attentionem, & sacri fontes somnum non ferunt. Manifestum proinde, quam temerarius sit labor, augusta haec verba obtorto collo in Dauidem trahendi. Quanto satius reddere Deo, quae sunt Dei.

✠ \* ✠

Fd 3984

ULB Halle 3  
002 164 590




TA-OL

V317

MW








Inches  
Centimetres

B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Farbkarte #13



OLOGICA INAVGVRALIS  
RVA  
SECVNDVM  
DE

# CHRISTO MESSIA

NTRA  
LII WOLZOGENII  
TVM DVPLICEM SENSVM  
E AGERE  
STRATVR  
VAM  
ESIDE

LIO von der *Hardt*  
GIAE DOCTORE  
INGVARVM ORIENTALIVM  
RE PVBL. ORD.  
IAE CAROLINAE H. T.  
ECTORE  
C. A. MDCCXLIX  
EO MAIORI

EBITVR  
DERICVS MEYER  
ET SOCIET. TEVT. DVCAL.  
ST. SODALIS.

LMSTADI  
L DIETERIC. SCHNORR,  
D. TYPOGR.

K.